

Sermo Decimus Nonus.

DARDARIUS *inquit*, notum est quod iam aquam magistri permanentem narraverunt. Oportet igitur introductum in hac arte, nihil incipere antequam huius aquæ vim sciat permanentis. Nos enim oportet semper uti in commixtione, contritione, & toto regimine, illa nota aqua permanente. Qui igitur aquam nescit permanentem, eiusq; regimen prout oportet, non ingrediatur in hac arte eo quod absq; aqua permanente nihil fit. Vis eius est spiritualis sanguis, quare philosophi aquam nuncupaverunt, eam permanentem, contrita enim cum corpore quod vobis ante me magistri exposuerunt, nutu DEI corpus illud in spiritum vertit. Sibi enim invicem mixta ac in unum redacta, se invicem convertunt corpus scilicet incorporat spiritum, spiritus verò corpus in spiritum tinctum, prout sanguis vertit. Et scitote quod omne quod spiritum habet, habet etiam & sanguinem: huius igitur mementote arcani.

Sermo Vigésimus.

BELUS *inquit*: optimè dixistis discipuli *Respondit Pythagoras*, Bele cur (philosophi cum sint) discipulos nuncupasti? *Respondit, ille*, ad honorem sui magistri, ne ipsum eis parem faciam. *Pythagoras autem respondit*. Qui nobiscum in hac arte hunc librum composuerunt qui Turba dicitur non debent vocari discipuli. *Et ille*. Ipsi, magister, aquam, frequenter permanentem narraverunt. Albumq; facere, & rubrum multis modis descripserunt, nominibus tantum diversis. Occulta autem veritate concordés sunt quibus modis, pondera compositiones ac regimina coniunxerunt. Ecce dicta in hoc despecto, fama divulgata quod apud philosophos excelsum est quod est lapis & non lapis quod multis nuncupatur nominibus, ne quis ipsum agnoscat insipiens. Quidam enim sapientes alio modo, ubi generatur ei nomen assumpserunt, quidam verò à calore quorum quidam viridem dixerunt lapidem, quidam lapidem intentissimi spiritus ex ære, corporibus immixtibilem, quidam eius descriptionem alteraverunt, quod apud vendentes lapides qui dicuntur faenum nummis venundatur, quidam sputum lunæ, quidam astronomicè quidam quoq; arithmeticè, ipsum nuncupaverunt, iam nominum legionibus vocatum est, cuius melius est, quod fit
ex me.

*Aqua per
quærens*

*Nominum
multiplicatio.*